Quelle: http://manuscripta.at/?ID=460
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

est columpna et firmamentum veritatis. tamen tempore venturi
christi venientisque discernit. et omissis sacrificiis quibus christus pas-
surus promittebatur. hoc sacrificium offert quo christus iam passus os-
tenditur. Qui propterea unus est sacerdos quia semetipsum pro nobis
obtulit hostiam. sicut apostolus testatur dicens. Estote imitatores
dei sicut filii karissimi et ambulate in dilectione. sicut et christus dilexit
nos et tradidit semetipsum pro nobis oblacionem et hostiam deo in
odorem suavitatis. ut in ipso sacerdote ac sacrificio fieret re-
missio peccatorum. id est per mediatorem dei et hominum. homi-
nem christum ihesum. Aug. Per hanc vero facta peccatorum purga-
cione reconciliamur deo. Non enim nisi peccatis separantur homines
a deo. quorum in hac vita non fit nostra virtute. sed divina mi-
seracione purgacio. per indulgenciam illius non per nostram po-
tenciam. Et ipsa quantulacumque virtus que dicitur nostra. illius est no-
bis bonitate concessa. Propterea ergo prestita est gratia. ut pollu-
ti carne. peccati similitudine mundaremur. Propter hoc sci-
licet. quod eramus et non eramus. Eramus enim homines sed iusti non
eramus. In illius autem incarnacione natura humana erat sed
iusta non peccatrix erat. Hec est mediacio qua manus lap-
sis iacentibus porrecta est. hoc semen dispositum est per angelos in
quorum edictis et lex dabatur. qua et unus deus coli iubebatur.
et hic mediator venturus promittebatur. Huius sacramenti fide eti-
am iusti antiqui mundari pie vivendo meruerunt. sicut beatus
petrus apostolus ad quosdam qui in lege iustificari querebant
manifeste testatur dicens. Quid temptatis dominum imponere iu-
gum super cervices discipulorum. quod neque nos neque patres nostri
portare potuimus. sed per fidem domini ihesu christi credimus salvari